



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Origines Benedictinae, Siue Illvstrivm Coenobiorvm Ord.
S. Benedicti, Nigrorvm Monachorvm, Per Italiam,
Hispaniam, Galliam, Germaniam, Poloniam, Belgium,
Britanniam, aliasque Prouincias. Exordia Ac ...**

Le Mire, Aubert

Coloniae Agrippinae, 1614

Capvt LIX.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11261

An. 1015.

in cœnobio Floriensi, pro clericis, qui ad hoc vsque tempus Deo seruiebant ibi, monachi sunt constituti. Anno millesimo decimo quinto Baldricus Episcopus Florinensem Abbatiam acquisiuit ei, cui præerat, Leodicensi Episcopatu.

CAPVT LIX.

Mons monachorum, extra muros vrbis Bambergensis.

Abbatiam hanc amplissimam an. 1008. aut circiter in honorem S. Michaëlis Archangeli, excitauit S. *Henricus* Imperator eiusque conthoralis S. *Cunigundis*: qui & Episcopatum Bambergensem instituerunt ac dotarunt, teste Bruschio.

S. Vdalrici monasterium in vrbe Augustana.

Svdalrici cœnobium, intra Augustanæ vrbis mœnia, versus meridiem, sublimi & augusto loco situm, ex D. Afræ vetustissimo templo in monasterium conuersum est ab ipso S. *Vlrico* Augustano Episcopo, post cæsos ibi ab imperatore Othone Magno Hunnos anno Domini 965. Instituit verò S. *Vlricus* ibi Canonicos primùm Regulares; postea verò à *Brunone* Episcopo, Imperatoris *Henrici* secundi germano fratre Abbatia Benedictinorum monachorum, eiectis Canonicis,

intri-

instituta, S. Vlrico angustum templum dedicatum est, quod prius S. Afræ exiguum tantum fuerat sacellum, idque factum legitur anno Christi 1012.

1012.

Veichenstephense monasterium, in d. Frisingensi.

Positum est hoc monasterium in excelso monte prope Frisingam, vbi olim fuisse dicitur castrum Pipini, Galliarum & Alemannia Regis, in quo postea etiam Carolomannus habitauit. Mons ille dictus est *Fetmons* siue *Thetonis mons*, cuius amplissimæ fossæ arcis magnificentiam adhuc hodie satis ostendunt: Hoc castrum postea anno 746. à *Marsilio* Sueuorum Rege euersum esse, historia monasterij tradit; sed *Auentinus* lib. 3. meminit *Landfridi* & *Diepoldi* Ducum Sueuiæ, qui cum *Vtilone* circa *Lycum* multa bella gesserint; sed de *Marsilio* Rege & de vastatione castrum *Testmons*, nihil.

746.

In hoc loco *Hitto* Episcopus Frisingensis constituit Præpositum cum sex Canonicis circa annum Domini 830. Post annos verò 200. imperante S. *Henrico* secundo, *Egilbertus* Episcopus Frisingensis, ex familia Comitum *Mospurgensium*, eundem Præpositum cum suis Canonicis transtulit in vmbilicum montis ad monasterium S. *Viti*, quod ipse fundauit, & loco ipsorum instituit ordinem D. Benedicti, & monasterium S. Stephani

830.

R

proto-

1021.

protomartyris construxit, circa annum 1021 constituto ibi primo Abbate *Arnolpho*. Episcopus *Hitto* sepultus est in Ecclesia cathedrali in crypta, transtulitque *Frisingam* corpora *Alexandri* Papæ & Martyris, *Iustini* Cardinalis, & *Nonnosij* monachi, de quo scribit *B. Gregorius* in *Dialogis*. Imperator *Henricus* sanctus donauit monasterio *Vveichenstephensi*, ad preces *Egilberti* Episcopi castrum *Saxaganck* in *Austria*, cum suis attinentijs: pro quo *Engelbertus* per commutationem monasterio dedit villam *Hegelhausen*. In diplomate *Henrici* Imperatoris sunt hæc verba: *partem cuiusdam insule Sabsonaganc, &c. in prouincia Orientali & in Marchia Adelberti Comitis sita, anno Domini 1021. sic ferè Hungarij.*

CAPVT LX.

Tinecense & Lubensense monasteria in Polonia.

Illustria hæc Polonia monasteria, originem suam debent *Casimiro* eius nominis primo Regi Polonia, qui olim in *Cluniaco* monachus fuerat, non modò religionem professus, sed etiam ordine diaconus. Atque hunc quidem Poloni, professionis & Sacramenti religione à Pontifice Romano solutum, ad

vacans